

Dissertatio medica inauguralis, de doloribus intestinorum colicis vulgo dictis ... / submittit Abrahamus Henricus Daelhausen.

Contributors

Daelhausen, Abrahamus Henricus.
Winter, Frederik, 1712-1760.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Cornelium de Pecker, 1750.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jj8dnpm4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DOLORIBUS INTESTINORUM COLICIS
VULGO DICTIS.

QUAM
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. FREDERICI WINTERI,

MED. DOCT. ET PROFESSORIS, SERENISS. ARAUS.
ET NASSAV. PRINCIPIS ARCHIATRI.

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissime FACULTATIS MEDICÆ Decreto,*


PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis
rite ac legitime consequendis,

Publico ac solemni examini submittit

ABRAHAMUS HENRICUS DAELHAUSEN,
Holwardo Oldenburgenfis.

Ad diem 10. Augusti MDCCL. H. L. Q. S.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud CORNELIUM DE PECKER, 1750.

DISSERTATIO MEDICA

DE CURA

DE

DIARRHAEAE ACUTAE

IN INFANTIBUS

DE

FRIDERICO WILHELMO

FRIDERICI WILHELMI

FRIDERICI WILHELMI

FRIDERICI WILHELMI

FRIDERICI WILHELMI

FRIDERICI WILHELMI

FRIDERICI WILHELMI

FRIDERICI WILHELMI

FRIDERICI WILHELMI

FRIDERICI WILHELMI

FRIDERICI WILHELMI

FRIDERICI WILHELMI

FRIDERICI WILHELMI

FRIDERICI WILHELMI

FRIDERICI WILHELMI

FRIDERICI WILHELMI

FRIDERICI WILHELMI



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DOLORIBUS INSESTINORUM COLICIS

VULGO DICTIS.

§. I.



a est intestinorum textura, ut non modo facillime irritata in motus quoscunque irregulares inducantur, sed ob summam quoque sensibilitatem multifariis doloribus obnoxia sint; unde si quæ aliæ corporis partes, sane hæ frequentissime tum spasmodicis tum torminosis laborant affectionibus, quæ quidem

bina malorum genera propter constantissimam sensuum motuumque harmoniam rarissime seorsim invadunt, sed semper fere sese mutuo concomitantur, alterutro ex altero profuente. Neque enim vehementior dolor intestina occupat, quin mox etiam motuum quædam irregularitas subnascatur, neque spasmi fortiores ea infestant, quin inde dolores, nunc leviores, nunc vehementiores producantur. Quid! quod etiam causæ morbificæ in remotioribus ab intestinis hærentes partibus modo

mirabili, quem consensum vocant, cæterum autem nequaquam intelligunt, & spasmos & dolores vehementissimos in intestinis conciliare soleant; uti vicissim intestina prius affecta dissitas etiam partes in consensum trahunt & in ipsis pessima & non raro periculosissima mala producant. Dolores hi, qui modo fixi uni loco inhærent, modo per totum intestinorum tractum oberrantes in diversis regionibus tragoediam suam, ludunt vulgo sub nomine *Colicæ*, vel *Dolorum Colicorum* describuntur.

§. I I.

Horum dolorum theoriam cum speciminis loco tradere constituerim, ordo requireret, ut prius eorum historia descripta in causas inquirerem. Verum adeo frequenter occurrunt, ut quotidie à quolibet observari possint & præterea varietate symptomatum tantopere differunt, ut fere impossibile sit eorum universalem tradere historiam; hinc huic labori supersedebo & potius quædam de loco affecto dicam.

§. I I I.

Sedes hujus mali & ipsius causæ à variis Auctoribus diversa statuitur, ipsa denominatio quidem eam jam indicare videtur, quod nempe sit in crasso illo intestino colon dicto, at non ita angustis limitibus circumscriptum est colicorum dolorum imperium, sed multo latius patet, teste quotidiana experientia. Antiquorum quidam, ut Galenus & alii, sedem colicæ potius in ventriculo, quam in intestino colo quærebant, ventriculum ut basin omnis sanitatis ponentes, & illi primam sensationem omnis mali præ reliquorum intestinorum assignantes, uti pluribus rationibus in eorum scriptis demonstrare conantur. Willisus pro parte primario affecta mesenterium agnoscit, ob plurimos nervos plexusque nervosos eorumque insignes distributiones in eo reperiendos; quid vero de hac opinione statuendum sit, infra, ubi simul Pisonis opinionem de causa colicæ spasmodicæ adducemus, dicendi occasio dabitur. Nos itaque cum hodiernis Practicis totum intestinorum tractum pro sede horum dolorum agnoscimus, existimantes nullam in eo regionem reperiri, in qua non, ab applicata causa, dolor produci queat, ita tamen ut

una parte gravius affecta, totus canalis cibarius in consensum trahatur, quin etiam si vehementior fuerit causa, totum universi corporis systema nerveum simul gravius afficiatur.

§. I V.

Quod vero totus intestinorum tractus his doloribus fuscipiens aptus sit, plura sunt quæ evincunt, quorsum refero ante omnia fabricam eorum in omnibus fere similem, tunicam nerveam ac villosam per crassa æque expansam ac per tenuia; dein ægrotantium querelæ idem indicare videntur, dum dolores modo in iis regionibus percipiunt, in quibus sita sunt tenuia intestina, modo ubi crassa locum suum habent. In tenuibus vero hæere dolores in quibusdam casibus probabile etiam sit ex subitaneo auxilio, quod interdum medicamenta ore assumpta attulerunt. Verum cum hæc jam satis clara sint & tantum non omnes consentiant, hinc iis diutius non inhærebo: unum tamen adhuc monebo, cum §. III. dixerim sedem hujus mali & ipsius causæ esse totum intestinorum tractum, me tantum loqui de causâ proxima, nec ideo negare, quod interdum causæ remotiores in alio loco hæere possint, quam ubi dolorum exacerbationes percipiuntur, ita v. g. nunquam dolorifica in flatu intestini cujusdam oritur, nisi in alia parte adsit ejus strictura spastica vel obstructio ex quacunque causâ; sic quoque aliquando causa in mesenterio, vel in omento hæere poterit qua de re vide Dolæum. in Encycloped. Med. Lib. III. p. 334.

§. V.

Si vero texturam hujus canalis, quem ab hisce doloribus affectum esse dixi, consideramus, utpote qui in tenuibus intestinis multo tenerior est, quam in crassis, quæ paucioribus prædita sunt nervis; facilis est conjectura, quod hi dolores prout vel tenuia, vel crassa obsident intestina tam ratione vehementiæ, quam periculi differant, quod etiam ab experientia confirmatur, dum longe acerbiores dolores oboriri observentur in tenuioribus quam in crassis, cujus luculentum exemplum præ-

bent validiora purgantia & venena caustica, cum sævissima excitent tormina supra & infra umbilicum atque in ejus medio. Inde quoque factum est, quod nonnulli Auctores hos dolores in *iliacos* & *colicos* distinxerint, illosque dixerint, qui medium ventrem occupant, eum vel spasmodice constringendo, vel vehementer inflando; hos vero qui in hypochondrio dextro & sinistro hærent, in iisque premento ac distendendo ingentes creant molestias. Quæ quidem distinctio suo nititur fundamento, tamen cum signa, ex quibus cognoscitur, valde dubia sint & præterea quoque in practicis non adeo magna utilitas inde expectari possit; hinc eam non adeo urgebo.

§ VI.

Alia datur divisio horum dolorum à causa proxima desumpta, juxta quam plerique Auctores eos dividunt in *colicam flatulentam* & *spasmodicam*, quarum illa constrictionem spasticam tubi intestinalis ejusque tunicarum, hæc vero earundem distensionem violentam à materia intus contenta pro fundamento habet; sicuti enim omnis doloris causa proxima est vel partium membranarum & nervosarum violenta distensio atque distractio eoque aucta, ut solutionem continui minuetur, vel earundem spastica contractio atque crispatura, ita quoque idem in tunicis intestinorum obtinere posse affirmarunt. Verum hæc distinctio etiam suis premitur difficultatibus, & quamvis negari non possit dari magnam differentiam tam quoad symptomata, quam quoad methodum medendi inter duas hæc species, interim tamen cum flatulenta vix concipi possit nisi simul constrictio spastica in quibusdam regionibus tubi intestinalis supponatur, & præterea quam plurimæ etiam causæ sint, quæ sub diversis conditionibus tam flatulentam, quam spasmodicam inducere valeant; hinc nec hæc divisio satis commoda videtur ad omnes species colicarum pertractandas, qua propter potius pro diversitate causarum producentium eas recensebo, simulque indicabo ad quamnam speciem singulæ pertineant.

§ VII.

Causæ vero remotiores, quæ hosce dolores producunt, cum tam diversæ sint, melioris ordinis gratia in quatuor classes dividi

vidi possunt: Vel enim *in cavo intestinorum* hærebunt; vel *intra tunicas eorum*, vel *ad eorum superficiem externam* applicantur, vel denique *in aliis partibus longe sæpe remotis* hærentes tubum alimentarem per consensum afficiunt, aut *corpori extrinsecus applicatæ* intestinorum tormina causantur.

§. VIII.

Ad primam classem causarum refero Imo *materiam elasticam æream in cavo intestinorum generatam*, quæ fibras intestinorum distendens colicam sic dictam flatulentam producit. Generatur autem ejusmodi materia elastica vel ex ingestis flatulentis, quales esse solent fructus horæi, præcipue dulces, fermentescibiles, leguminosa pleraque, radices multum elasticæ materiæ continentis, uti raphani, rapæ &c; spirituosæ fermentantia, aut actu fermentationis suppressa; vel à cibis non rite concoctis, sive id fiat ob debilitatum ventriculi & reliquorum viscerum tonum, ex qua causa debiles atque sensiliores sæpius eam patiuntur; sive quod cibi assumti talis sint indolis, ut non tam facile digeri possint, sive etiam, quod in nimia copia assumti vires coctrices ventriculi superent hincque indolem suam sequentes aut putrescant, aut acefcant, & sic multum aeris sive vaporum emittant, qui deinde calore loci rarefacti intestina dicto modo dolorifice distendunt. Interim tamen ad colicam hancce inducendam sola præsentia materiæ istius elasticæ nondum sufficit, alias enim continuo hisce doloribus affligeremur, cum ex omnibus cibis semper sub digestionem aër eliciatur, qui etiam tum intestina æque distendere deberet, quod autem hoc non fiat, ratio sine dubio in eo est, quod in statu sano vapores isti sese non solum per totum intestinorum canalem æqualiter distribuere possint, sicque majus spatium nacti, distensionem nullam producant, sed quoque in majori copia generati, vi suæ elasticitatis per aperta ostia superius & inferius tacite undas suas provolvunt, nullis impediti carceribus: requiritur ideo ut aliæ præterea adsint causæ, quæ æquabilem hujus materiæ elasticæ expansionem aut exitum impediunt, istud autem fieri potest, dum vel in quibusdam regionibus intestina spastice contrahuntur sicque flatus quasi intra duas stricturas incarcerantur, vel dum in

cras-

crassis intestinis scybala adsunt, diu retenta atque indurata, quæ partim tubum intestinale obstruendo, partim vero intestina mole sua atque duritie ad spasticam contractionem incitant sicque flatuum exitum præcludunt; vel denique dum ipsi vapores acrimonia propria ita stimulant intestina, ut, prout eorum natura est, ad violentas contractiones cogantur.

§. IX.

Ad hanc classẽ pertinent 2^{do} *acria* & *adstringentia*, quæ in intestinis contenta vel eorum tunicas corrodendo & lancinando, vehementes ac quasi urentes nonnunquam inducunt dolores, vel etiam acrimonia sua & virtute adstringente fibras intestinorum ad fortiorem & spasticam contractionem stimulo colicos dolores efficiunt, qui vel in simplici constrictione spastica consistunt, vel uti plerumque fieri solet, si causæ in priori §pho enumeratæ accedant dolores flatulentos producant. Acria vero isthæc vel corpori ingeruntur, qualia sunt præcipue venena acria & caustica & præprimis metallica, nec non medicamenta nonnulla, uti v. g. purgantia drastica & emetica, fortioraque adstringentia, quæ inter præ reliquis omnibus plumbum ejusque præparata noxia hac virtute prædita sunt: vel ea in corpore generantur ex cibis ob læsam digestionem nimis diu retentis & corruptis, cujus exemplum præbet acidum in primis viis, quod imprimis in infantibus frequentissima atrocissimorum & torminosorum dolorum causa est, utpote qui solo lacte vescuntur, quod in eorum ventriculo ob debilem ipsius tonum & motus defectum facillime stagnat & acescit & per miscelam bilis corrosivam non raro induit acrimoniam.

§. X.

Huc quoque 3^{tio} referenda est, *bilis*, quæ copiosius in intestina præsertim duodenum effusa ibique stagnans & collecta mora corrumpitur & acris fit, sicque *colicam biliosam* dictam inducit, quæ intolerabili & atrocissimo intestinorum dolore sese prodat, & de qua veteres dixere, quod à causa calida nascatur, cum viderint eam præcipue juvenes temperamento calido bilioso præditos sub fervida æstate adoriri, & frequentissime febrem, sitim & reliqua symptomata, quæ febrem concomitari solent,

sibi

sibi adjunctam habere, quibus deinde vomitus materiæ viridis, aut insoliti cujusdam coloris & alvi dejectiones biliosæ succedunt. Ejusmodi vero collectio atque effusio bilis vehementiorem animi commotionem & præprimis à graviore ira sequi solet, vel etiam alias causas, quæ vesiculam felleam spasmodice constringendo bilem copiosius in intestina effundi faciunt. Interdum quoque accedente maligna aeris constitutione Colica epidemice grassatur, quæ à symptomatibus biliosa dicitur, qualem Sydenhamus Sect. IV. Cap. VII. descripsit, interim tamen cum hæc colica non à sola bile oriatur, sed ut laudatus Auctor dicit: „ ab humore acri è massa sanguinea in intestina excusso, ” quæ sententia etiam ex consideratione causarum remotiorum probabilis fit, hinc eam potius ad colicas, à causis, in priori paragrapho descriptis, productas pertinere existimo.

§. X. I.

Ad Hanc classem 4^{to} referri possunt *humores crassi ac pituitosi*, qui ab Auctoribus nonnullis recensentur & imprimis veterum sic dicta *pituita vitrea*. Per humores vero pituitosos hoc loco tantum intelligo viscidos, tenaces ac glutinosos istos humores, qui partim in folliculis glandularum secreti internam intestinorum superficiem obducunt, partim vero ex cibis farinosis & glutinosis, aut animalium partibus tenacioribus generantur, quorum causas Clariss. Boerhaavius in Capite de glutinoso spontaneo Aphorism. §. 69. explicavit, & quas hic recensere nimis prolixum foret. Ejusmodi vero crassi ac tenaces humores præter alia incommoda nonnunquam etiam dolores colicos inducunt, dum vel mora & stagnatione acres fiunt sicque acrimonia sua intestina dolorifice afficiunt, vel quia materiam flatuum præbent, & simul tardam faciunt alvum, ex quibus duobus simul sumtis facile colica flatulenta nascitur. Imprimis vero de pituita vitrea dixere veteres, eam frigore nocere ipsamque pro signo semper lethali habuere, & quamvis plurimi ex recentioribus de ejus existentia dubitaverint, quia adeo raro nostris in regionibus observatur, cum tamen alii Celebres Practici eam excretam viderint, inde ejus quoque hoc loco mentionem facere volui; describit vero eam Celeberrimus Boerhaavius, in

„ prælectionibus in proprios Aphorismos, ab anonymo editis, ” ad
 „ §. 69. Quod loco excrementorum talis mucus prodierit,
 „ qui perfecte similis fuerit juri cocto ex carne vitulina ad spis-
 „ situdinem gelatinæ in frigore consistentis; ” ubi simul testa-
 „ tur, „ quod illa pituita insuperabilis sit, & omnes ex illa mo-
 „ riantur. ” Sicuti vero pituitosi ac mucosi isti humores si
 nimia copia adsunt intestina pessime afficiunt, ita quoque
 idem ab eorum defectu contingere potest; dum enim mucus
 iste, qui intestina interius naturaliter oblinat, vi quadam avelli-
 tur & excernitur, ut nudi nervi à materia chylosa, cui bilis ad-
 mista est, quæ semper aliquam acrimoniam habet, vellicentur;
 immanes non raro oriuntur dolores.

§. X I I.

Vto ad hanc classem pertinent *beterogenea illa, quæ non nun-
 quam in intestinis continentur*, quales sunt *vermes, calculi, nu-
 clei cerasorum & alia sicca atque dura corpora*, quæ in illis in-
 venta sunt, quod vermes attinet, de iis jam satis constat, quod
 alias morfu suo intestinorum fibras arrodant & vellicent, sicque
 sæpe adeo atroces dolores excitent, ut vel in convulsiones, syn-
 copen aut alia gravissima mala transeant, alias vero si in globu-
 lum convoluti in ileo hærent istud obstruendo violentam ipsius
 causentur distensionem; quin etiam ex vermibus mortuis & pu-
 trefactis, vel ex eorum excrementis acres non raro generentur
 humores, qui vel proxime intestina afficiunt vel una cum chylo
 in massam sanguineam delati alia præterea gravissima inducunt
 mala. De reliquis vero heterogeneis passim quoque observatio-
 nes, licet rariores sint, apud Auctores occurrunt & eorum men-
 tionem facit Laz. Riverius, Praxis Med. L. X. C. I. imprimis
 vero calculi intestinorum cavum perfecte obturantem meminit
 Celeberrimus Boerhaavius in Prælect. publicis de calculo m.
 p. 28.

§. X I I I.

*Altera classis complectitur causas, quæ intra tunicas intestino-
 rum & in eorum vasis hærentes colicos dolores producant*, inter
 quas primo loco occurrit *inflammatio intestinorum* quæ à causis
 à Celeberrimo Boerhaavio Aphorismo 959. recensitis nata inter
 alia

alia symptomata quoque dolorem acutissimum, ardentem ac fixum producit & partem inflammata[m] contrahendo transitum appulsi impedit, unde portio intestini supra locum inflammatum ipseque ventriculus violenter inflantur & distenduntur. Si vero inflammatio in suppurationem & cancrum transivit; hæc æque apta sunt ad dolores creandos, dum pus aut ichor, quæ à suppuratione aut cancro generantur, vasa violenter distendunt aut arrodunt. Præter inflammationem vero hoc loco aliæ quoque causæ enumerandæ sunt, quæ *colicam chronicam* induxerunt, & quæ demum post mortem innotuerunt, quales sunt v. g. *scirrhus* aut *callus* partem quandam intestini occupantes, intestinorum angustia & post dysenteriam coalitus, cujusmodi complures casus Clarissimus Hoffmannus Medicinæ Systemat. Tom. IV. part. II. p. 327. ex variis observatoribus allegavit.

§. XI V.

Sicuti vero sanguis in vasis intestinorum inflammatoriam statim concipiens dolorum colicorum causa existit, ita quoque idem fieri potest, dum humor iste vitalis intra tunicas intestinorum congeritur atque accumulatur ibique ad stagnationem deducitur, qui tunc vasa ultra modum impleta sensiles ac nervosas intestinorum tunicas vehementer distendit ad convulsivas contractiones stimulat, talis colicæ, vulgo sanguinæ dictæ exempla sæpius occurrunt in hominibus robustis, sanguineis, qui lautius vivunt & otiosam degunt vitam, præsertim si hæmorrhoidum fluxui adfueti ab eo deseruntur, vel si in foeminis mensium, aut in puerperis lochiorum fluxus supprimitur, in quo casu facile fieri potest, ut sanguis copiosius ad vasa hæmorrhoidalìa & uterina affluens & non amplius excretus, stagnet atque ad vasa intestinorum regurgitet, ibique dictos effectus producat.

§. X V.

Tertia causa in interstiis tunicarum hærens est aër, fluidum illud elasticum, quod nos undique non tantum ambit, sed & totum intestinorum labyrinthum perpetuo pererrat; quod ubi opportunitatem adipiscitur quocunque demum modo penetrandi per interiorem intestinorum membranam vi suæ naturæ mox contiguas tunicas à se mutuo disjungit; viam sibi ulterius ster-

nit sicque novum velut cavum intra tunicas formando exteriores membranas vehementer distrahit, interiores comprimit, & sæpe numero ob stimulum, quem exferit, ad spasmodicas contractiones compellit. Sic simul & tympanitidis &, qui hunc frequenter concomitantur, colicorum dolorum causa existit.

§. X V I.

Causa quoque quæ intra tunicas intestinorum hæret & ad hanc classem referenda, est materia morbosa, quæ vel ob deficiens naturæ robur ab interioribus non satis vegete propellitur ad externas corporis partes; vel etiam ob varias externas causas retropellitur & per malam metastasin ad intestinorum tunicas delata atrocissimos dolores causatur, qui cum sese maxime per spasmos exferant, hinc merito ad colicas spasmodicas referuntur. Ejusmodi vero colica sæpe numero observatur in iis, quibus podagra, arthritis aut rheumatismus vel sponte retrocessit, vel per perversam medicamentorum applicationem & inconueniens regimen retropulsa sunt, eidem colicæ quoque valde obnoxii sunt, qui scorbuto aut purpura scorbutica laborant, maxime si insensibilis perspiratio in talibus impediatur, vel si corpus improvide frigori exponitur. Idem quoque contingere potest ab iisdem causis in achoribus capitis, scabie & aliis morbis cutaneis, intempestive exsiccantibus medicamentis tractatis.

§. X V I I.

In tertia classe occurrunt causæ, quæ in cavo abdominis continentur & intestinis extrinsecus immediate applicantur, quarum præcipue duæ sunt; intestina enim vel ab humore quodam acri in abdominis cavo fluctuante eroduntur, vel à tumore partium vicinarum comprimuntur. Quod primam causam attinet acrem humorem externe tunicis intestinorum inhærentem dolores in iis excitare posse, valde probabile est, materiam purulentam ex rupto mesenterii aut alius visceris abscessu effusam, vel serum in hydrope ascitide in abdomine fluctans, & intestina proxime ambiens, stagnatione in loco calido acrimoniam induere, & intestina non solum arrodere, sed in ipsis inflammationes & gangrænas producere, id quod etiam perfectionem de-

defunctorum probatur, qui ante mortem sævos dolores torminaque passi sunt, & in quibus post mortem ejusmodi materia purulenta intestinis inhærescens inventa fuit, cujusmodi exempla Clarissimus Hoffmannus Medicina Systemat. Tom. IV. Part. II. p. 327. ex Willisio, Benivenio & Warthono adducit. Tumoris vero partium vicinarum, v. g. uteri, vesicæ &c. intestina comprimantis & irritantis, sicque dolores producentis meminit Nicol. Pifo. de cognoscendis & curandis morbis libr. III. p. 128. Et non improbabile videtur Colicam istam, quæ Nephritidem calculosam comitari solet, non semper ex solo consensu nervorum oriri, sed interdum quoque originem suam inde ducere, quod ren calculo distentus mole sua & duritie intestinum colon, cui proxime adjacet, & à quo solo interventu peritonæi separatus est, comprimat. Huc quoque referri debet hydrops iste mirabilissimus renis dextri, quod relatum legitur in Transactionibus Philosophicis anni 1747., ubi ren à lymphæ subfusæ stupenda copia ita fuit distractus, ut intestina penitus ex situ naturali excusserit, quod certe sine summa molestia & torminibus fieri non potuit.

§. X V I I I.

In quarta denique classi recensendæ sunt causæ, quæ non immediate intestina afficiunt, sed vel in partibus remotioribus hærentes, dolores in iis per consensum producant; vel quæ extrinsecus corpori applicatæ intestinorum tormina causantur.

§. X I X.

Inter causas externas, quæ huic malo occasionem præbent, nulla fere est, quæ istud certius producat in prædispositis, quam epidemica illa aëris constitutio, quæ febres biliosas epidemice grassantes sequi solet, cujus jam in Spho X. mentio facta est, & de qua infra plura dicendi occasio dabitur. Præter eam vero huc quoque pertinet frigus, corpori & imprimis abdomini aut pedibus improvide admissum, unde videmus homines debiliores, qui nudis pedibus pavimento lapideo incedunt atrocissimis nonnunquam corripitur doloribus; ante omnia vero huc referri debet boreas, qui maxime huic malo favet, ut & ha-

bitatio in solo humido & aëre suffocato, testante Carol. Pisone. in Tract. de Colluvie serosa p. 267. fqq.

§. XX.

Ultimo denique occurrunt causæ, quæ in aliis partibus, à sede mali longe sæpe remotis hærentes, istud per consensum, qui inter partes viget, producunt, dum videmus una parte spasmodice affecta alias simul in consensum trahi, cujus luculentissima exempla observamus in doloribus nephriticis, qui à calculo per uretheres transeunte causantur, dum enim canales isti valde nervosi à calculo graviter vellicantur, & ad spasticas fricturas stimulantur; spasmus hinc facile intestinis communicatur, ut inde non solum abdominis cruciatus orientur, sed & sæpe cardialgia, nausea & vomitio sese adjungant, ex qua causa quoque distinctio duorum horum malorum adeo difficilis est, ut etiam expertissimis Medicis multum negotii faciat. Simile observatum est à calculo in cystide fellea contento ejusque ductum stimulante; quin etiam nonnunquam colica spasmodica & convulsiva à dentitione difficili in praxi observetur uti Clarissimus Hoffmannus Medicin. System. Tom. IV. Part. II. pag. 326. testatur.

§. XXI.

Hactenus enumeratæ sunt, quotquot experientia & Auctorum testimonia nobis suggerunt, causæ procatarticae dolorum colicorum. De prædisponentibus vero causis cum passim jam locutus sim; pauca duntaxat hic subnectam. Per eas nimirum intelligitur qualiscunque intestinorum condicio, qua suscipiendis colicis doloribus plus favet, quam secundum naturam fieri deberet. Huc ergo imprimis adduci debet nimia intestinorum *sensibilitas*, quocunque demum modo illam explicare volueris, quæ vel connata est, vel acquisita, eaque vel à perverso aut minus bene administrato rerum non naturalium usu, vel à morbis prægressis producta.

Huc deinde pertinet *torpor intestinorum*, quando scilicet ob quamcunque causam motum, quem naturaliter mutandis alimentis impendunt, pigrius aut penitus non exercent.

Huc

Huc quoque pertinet *defectus* aut *inertia humorum*, qui ad concoctionem bene peragendam dati sunt, imprimis *bilis*.

Huc denique referendus *defectus alicujus partis*, quæ fœtum intestinis præbere solebat, præsertim vero omenti, quo exeso, exsecto aut alia ratione corrupto, fit, ut intestina veluti de viribus suis aliquid amittant, saltem nudius externis injuriis exposita sint.

§. XXII.

Omnes huc usque enumeratæ causæ, quamquam valde diversæ sint, in eo tamen inter se conveniunt, quod intestina afficiendo varios dolores & tormina in iis excitent, quæ omnia uno nomine *colicæ* appellantur. Uti vero causæ variæ sunt, ita quoque dolores ab iis producti valde differunt, sive eorum genium & vehementiam, sive durationem, sive denique conjuncta symptomata & eorum exitum spectaveris, unde quoque ab Auctoribus Practicis tam variæ & multiplices species colicarum statuuntur, quorum alii distinctionem à diversitate causarum, alii à symptomatibus concomitantibus desumserunt, quæ etiam distinctiones suo in methodo medendi non carent usu, siquidem eadem remedia, quæ in una specie egregie conducunt in alia non tantum non profint, sed é Contrario sæpe nocentissima existant, attamen cum omnes & singulas debite pertractare nimis prolixum foret & limites dissertationis transgrederetur, hinc ad unam earum me restringam, & quædam adhuc subnectam, quæ specialius colicam istam, nostris temporibus tam frequentem & quasi epidemice grassantem, vulgo *colica Pictonum* vocatam, spectant, quorum largior indagatio B. L. haud displicebit, dum reliquas omnes, tam causarum intricatissima evolutione, quam symptomatum vehementia & epidemica sua, præsertim hisce in regionibus, grassatione longe superare videtur.

§. XXIII.

Symptomata, quæ hancce colicam concomitantur, & quibus à reliquis sese distinguit, fere sunt sequentia: Dolor plerumque fixus & ferocissimus, totum abdomen imprimis vero regionem umbilicalem occupans, alvus constipatissima omnium
cathar.

cathartorum vim eludens, anus interdum adeo violenter clauditur & sursum trahitur, ut neque suppositorium neque clyster applicari possit, venter arcte comprimitur & umbilicus intro trahitur, ut ingens inde sæpe efformetur cavitas, ructus adsunt frequentes, non tamen levantes, vomitus materiæ viridis aut alius insoliti coloris, major minorve febris cum anxietate, inquietudine & extremorum refrigeratione, urina ab initio clara, dein turbida non tamen subsidens, præ vehementia dolorum æger interdum deliquium animi aut convulsiones patitur. Dum alvus dein solvitur, scybala prodeunt instar ovillorum sicca, dura, globulata, quibus ejectis dolor cessare solet & æger reconvallescere videtur, donec post longius breviusve interval- lum novum insultum patiatur, qui ægrum vel ex improvise adoritur, vel leves præcedentes ventris dolores sequitur; plerumque etiam in lucidis intervallis pallor faciei quasi cachecticus remanet, ex quo optime noscimus, hominem nondum perfecte sanatum esse.

§. XXIV.

Exitus hujus colicæ diversus est, plerumque tamen in affectus aliquos systematis nervosi & frequentissime quidem, uti Pisono aliique observarunt, in paralytin artuum maxime superiorum transire solet, quæ paralytis hac ratione ut plurimum incipit: Post aliquot ejusmodi insultus, præcipue si brevioribus intervallis se invicem sequantur, interdum quoque, sed rarius, post primum, impotentia quædam & torpor ad motum artus, frequentissime superiores, occupat. Invadit autem præcipue artuum extremitates & in his quidem frequentius extensores, quam flexores musculos. Tum quoque nasci solet tuberculum aliquod, sive eminentia quædam in medio metacarpo ad insertionem tendinum musculorum radialium externorum, quod plerumque mobile, nonnunquam vero immobile deprehenditur, hoc tuberculum postea iterum evanescit, interdum vero persistat, licet motus inde non impediatur, si modo mobile maneat. Partes deinde flaccidendo gracilescent & tandem omnis perit motus, quamvis nullus in artubus percipiatur dolor & sensus & color naturalis superstites sint. Nata hac paralyti do-
lor

lor in abdomine cessare solet, hoc autem non adeo constans est, quin interdum etiam nata jam Paralyfi perduret.

§. X X V.

Præter paralyfin vero, utpote quæ frequentissimum hujus morbi symptoma est, interdum quoque alia nonnulla supervenire solent, quibus morbus vel salutariter, vel minus salutariter terminatur. Sic Car. Pifo de Colluvie serosa obs. 79. refert eum denique solutum fuisse largiore sudore, vel superveniente hæmorrhagia præsertim in juvenibus, alias quoque observatum est icterum sese huic colicæ adjunxisse; singularissimam vero hujus colicæ solutionem Clarissimus D. Gaubius à se observatam memoravit, hominis cujusdam hac colica afflicti, quem capitis vehementissimi dolores, neque ullo opiato cedentes, per 14 dies misere excruciarunt, donec tandem, doloribus sedatis, æger perfectissimam sanitatem recuperavit, nec ullam recidivam passus est. In quibus vero minus salutariter terminatur hic morbus, ii vel apoplectico pereunt insultu, vel frequentioribus & periodicis tentati epilepsiis & motibus convulsivis tandem succumbunt, vel morbus in ileum, hydropem tam ascitem, quam tympanidem, aut in affectum quendam soporosum lethaliter transit, vel denique ægri frequentes recidivas passi tandem deperditis viribus paralytici & enervati moriuntur, id quod Carol. Pifo in libro jam citato nonnullis observationibus probavit.

§. X X V I.

Enumerata symptomata satis manifeste indicare videntur, *proximam hujus mali causam*, & quæ ejus essentiam constituit, positam esse *in spasmu intestina tam tenuia quam crassa occupante, raptis simul peritonæo & musculis abdominalibus in consensum*, quorum actione venter arcte comprimitur. Introtractio umbilici, qua præsepium equinum, ut Car. Pifo ait, refert, pertinacissima alvi obstructio, irritus fomentorum, clysmatum & purgantium usus evidenter demonstrant, omnes in abdomine contentas partes valde constrictas esse. Præcipue vero scybala illa globulata, quæ prodeunt dum alvus denique solvitur, indicant spasmus quoque in crassis obtinere intestinis, videtur enim co-

non juxta longitudinem & latitudinem contractum varios formare sacculos, qui in orificiis suis contracti fecem alvinam non tantum separant, sed eam simul comprimendo & densando dictam figuram producant. Quod vero intestina non solum secundum latitudinem, sed etiam secundum longitudinalem axin contrahantur podicis oclusio & sursum tractio satis indicant. Dolorem ipsum in imo ventre perceptum potius effectum, quam causam hujus spasmi esse patet ex eo, quod non tantum in aliis partibus spasmo affectis idem contingere videmus, sed & quia malum hocce non semper cum summo dolore incipit, & inter causas remotas quoque tales occurrunt, quæ nulla acrimonia dolorem producere possunt, quales sunt v. g. adstringentia nonnulla & imprimis saturnina. Quod vero in ileo maximus percipiatur dolor ratio sine dubio est, quod istud tenerioris, saltem præ crassis, sit structuræ, & in medio hæreat loco, ubi maxima est umbilici retrotractio, & ubi simul ab ambientibus partibus, præsertim à colo, duris istis fœcibus impleto, validissime comprimitur. Quin etiam icterus huic colicæ superveniens ex hoc spasmo facile explicari possit, si enim iste sese ad duodenum extendit; biliosæ materiæ exitum impedit, quæ hinc non tantum in fœcibus deficit, sed & regurgitans icterum producit.

§. XXVII.

Quamvis vero hæc satis clara sint & plerique Auctores quoque in eo consentiant; *quod malum hocce in spasmo partium in abdomine contentarum consistat*, interim tamen si de *causa remotiori sive materiali*, quæ hunc spasmum producit & de *parte primario affecta* quæstio est; magna inter eos datur differentia, inspectiones cadaverum hoc morbo defunctorum parum dedere lucis. Adducit quidem Carol. Piso de Colluv. Serosa obs. 93. observationem aliquam, ubi in cadavere hominis diro hocce malo per 40 dies afflicti, & post frequentes motus convulsivos tandem enecati, intestina quidem integra, sed totum encephalon sero maceratum invenit, qui inde conclusit causam morbi non in ventrem, sed in encephalon ponendam esse & serosam illam lympham materiem morbi fuisse, quæ partim in lumbos & intestina

testina descendens colicam hanc, pro alia vero parte in artus deflectens, paralyfin producat. Verum vix credibile est, serum hocce in parte tam sensibili, ut encephalon est, hærens posse in remotis partibus tantos producere dolores, cum tamen nullum in sensorio communi crearet symptoma, quin magis probabile sit extravasationem illius feri à prægressis violentissimis convulsionibus inductam fuisse. Willisius & cum eo nonnulli alii Auctores dicunt spasmus istum sedem suam primario in mesenterio habere indeque ad intestina sese diffundere, quam opinionem inde deduxere, quia ex anatomicis constat in mesenterio magnos esse plexus nervosos, qui sese in intestina diffundunt, quique cum nervis vicinis communicant, deinde quia mesenterium etiam alia vasa intestinis ipsamque membranam exteriorem largitur, unde iis visum est, spasmos primario in eo hæere tantosque ibi creare dolores seseque facilius in alligata intestina diffundere & eorum coarctationem & abbreviationem producere, quem in finem Willisius quoque observationem profert, qua in cadavere fœminæ, hac colica mortuæ, patuit, centrum mesenterii laxius fuisse & quasi vesiculis inflatum, nullo humore plenis, sed divulsione tantum membranarum factis, ex quo constare putavit, quod sedes primaria hujus mali potius in mesenterium ponenda sit. Videntur quidem hæc satis probabilia, neque negari potest, mesenterium hac in colica spasmis obstructum esse, ex qua causa dolor etiam & corrugatio intestinorum augeri potest, imo & ex eodem spasmo mesenteri; origo illius hydropis, frequentibus hujus colicæ insultibus supervenientis, explicari debet, qui nasci videtur quando omnia vasa in mesenterio constricta liberum lymphæ, copiosius huc appellantis, transitum impediunt, quæ itaque accumulata & stagnans vasa violenter distendere tandemque disrumpere debet, qua itaque depluente necessario nascitur hydrops. Si vero causas antecedentes hujus mali consideramus inter eas complures occurrunt, quæ intestina potius & primario afficiunt, tardius vero in mesenterium agunt, v. g. metallica illa & adstringentia, quæ virtute sua adstrictiva sibi viam in mesenterii vasa præcludunt, & si simul cogitemus, quod omnia symptomata, malum

hocce concomitantia, & divulgio illa mesenterii à Willisio observata, æque bene explicari possit, sive mesenterium, sive intestina primario affecta fuerint; facile patet hanc opinionem nondum satis certam esse sed potius *primariam spasmodum & bujus mali sedem in intestina ponendam.*

§. XXVIII.

Quod *causas remotas* hujus mali attinet, cum jam in prioribus paragraphis explicatæ sint eæ, quæ colicos dolores in genere producant; hoc loco tantum supererit, ut breviter indicem, quæ huic speciei imprimis favent. In harum vero enumeratione primo loco notandum quod colica hæc nonnullis nationibus magis familiaris & imprimis in calidioribus regionibus infestior sit, quam in frigidioribus, quin in frigidissimis vix unquam comperita fuit, uti varii auctores observarunt, id Citesius de Pictonibus, Bontius de Indiis Orientalibus; Towneus de insulis Caribum & plures alii testantur. Quoad subjecta, quæ huic colicæ præcipue obnoxia sunt, notari debet, quod quidem omnes homines cujuscunque temperamenti, sexus & conditionis ea corripiantur, interim tamen observationes docuere, quod temperamenta sicca, atrabilia præ repletioribus, viri præ foeminis, homines mediæ ætatis præ junioribus & senibus magis ad eam dispositi sint, ita ut ætas minor fere immunis sit, & vix visus sit infra 16. annum constitutus in eam incidisse. Dein ex rebus non naturalibus nonnulla huc pertinent, quæ huic malo occasionem præbent & hinc inter causas procatarcticas referenda sunt; talis est tempestas autumnalis & hyemalis, imprimis vero borealis, habitatio in solo uliginoso & aëre suffocato, uti C. Piso de Colluvie serosa obs. 74. annotavit, lautior mensa sub otio & vita sedentaria, largior meri usus, imprimis vero vinorum acidulorum & austeriusculorum, ut sunt rubra Gallica, ex quorum abusu Crato dicit colicam hancce in Moravia endemicam esse, & Hoecksham testatur ejus epidemicam grassationem in Scotia secutam fuisse abusum potus istius vinosi ex pomis confecti, idem Towneus de famoso illo potu Anglico Rum punchi testatur; huc quoque pertinent assumpta venena & inter hæc frequentissime plumbum, sub quacunque de-

mm

mum forma istud corpus ingressum fuerit, si modo solutum sit, sic de vinis lithargyrio mangonifatis id jam dudum constitit, & colica ista, vulgo dicta *die Huetten Katze*, quæ metallurgis, plumbum in furnis docimasticis tractantibus, aut qui cerussam, minium aut alia similia præparant, tam familiaris est, nec non iis, qui vasa figulina vitro saturnino obducunt, idem testatur; & Hoffmannus eam natam vidit ex usu tincturæ antiphthifica Grammanni, de quo vide ejus Medic. Systemat. Tom. IV. Part. II. p. 324. Denique inter causas remotas quoque recensendi sunt morbi nonnulli, qui hanc colicam pedisequam habent, inter quos occurrit. 1. *Dispositio humorum acris, scorbutica, rheumatica podagrica*, de quibus jam dictum est in §. XVI. 2. huc pertinent *hæmorrhoidum, menstruorum, aut lochiorum suppressus fluxus*, uti in §. XIV. indicatum. 3. *Hysterica passio & vebementia animi patbemala*, cum nervos vehementer debilitent, hanc colicam nonnunquam pedisequam habent. Præ omnibus vero 4. memorandæ sunt *constitutiones epidemicæ*, quibus febres intermittentes aut continuæ, sed genium intermittentium servantes, grassantur, quæ maximam huic colicæ occasionem præbent, sic Car. Pifo jam observavit, febribus tertianis declinatis successisse tales dolores, nec non continuis 4^{to}. aut 7^{mo}. die exacerbationes habentibus, & quartanis, maxime vero tertianis, quæ exacerbatae in continuas abierant. Sic quoque, uti Clarissimus D. Gaubius in collegio suo memoravit, post constitutionem epidemicam febrium biliosarum, quæ per annos 1727. & 1728. Amstelodami maximam stragem edidit, talis constitutio secuta est; idem quoque contigit post annos 1748. & 1749. in quibus eadem febres iterum grassatae sunt, quin etiam colica illa biliosa, quam Sydenhamus descripsit & quæ itidem grassationem febrium continuarum secuta est, cum nostra convenire videatur, unde credibile fere fit nexum quendam obtinere inter constitutionem febrilem & eam quæ colicam producit, præcipue si consideramus, quod colica hæc æque facile recidivas faciat, ac febres illæ, & quod eadem anni tempestas utroque faveat morbo.

§. XXI X.

Recensitæ hæ causæ cum adeo multiplices & diversæ sint, & tantum in eo inter se convenient, quod colicam hancce pedisequam habeant; facile patet frustraneum esse laborem eorum, qui causam universalem vel in rebus naturalibus vel in morbis antecedentibus quæsierunt, uti v. g. nonnulli fecerunt, qui videntes, vina plumbo aut arsenico depurata, colicam hanc aliquando induxisse, & eorum Amstelodami frequentem usum esse, causam universalem hujus epidemiæ Amstelodamensis in usu vinorum plumbatorum hæere putarunt, sed plura sunt, quæ huic opinioni contrariantur, non enim ii tantum hac colica corripuntur, qui ejusmodi vinis utuntur, sed illi quoque in eandem incidunt, qui vino non usi sunt, imo mangonifatio hæc diu usitata fuit antequam morbus hic cognitus erat, accedit quod morbus suos habeat accessus periodicos, & invadat homines, quando videntur sanissimi, quod vix fieri posset si materia sensim colligeretur & in actum deduceretur. Alii putarunt principalem hujus epidemiæ causam debere aquæ pluviali plumbo infectæ, qua homines hisce in regionibus, ob defectum aquæ fontanæ aut fluviatilis, quotidie utuntur, & quæ ope canalium, ex plumbo confectorum colligitur, ac hinc facile labem aliquam saturninam contrahere posset, sed huic opinioni eadem obstant difficultates, quæ priori, quod nimirum usus ejusmodi aquæ multo antiquior sit & in pluribus regionibus observetur, quam epidemia hæc. Hinc factum est, ut alii confiterentur nullam hic inveniri universalem causam procatarcticam, quæ in omnes homines quadret, qui hinc crediderunt contagium aliquod incusandum esse, in quam opinionem ideo imprimis inciderunt, cum viderint, quod haud raro, si quis in familia aliqua colica hac, epidemice grassante, afflictus fuerit, reliqui quoque ad servos & ancillas usque in eandem inciderint; quæ quidem suspicio non omni caret ratione, interim tamen cum innumera quoque in contrarium prostent exempla, hinc nec ea adeo certa videtur.

§. XXI X.

Videtur itaque ex dictis colligi posse, colicam hanc alias

spo-

Sporadicam esse, si unus vel alter ex causa singulari ea corripitur, v. g. si in podagrico ex retropulsa podagra, in puerpera ex suppressis lochiis, vel in auri fabro aut figulo ex susceptis particulis mercurialibus aut saturninis nascitur. Alias vero esse *endemicam*, quatenus plures in certa quadam regione, vel omni tempore vel quotannis eadem affliguntur, cujus causa itaque in re quadam universali quærenda, qua omnes & singuli utuntur, & quæ vel in aëre, vel in soli natura, vel in cibis & potibus aut in vaporibus, quibus aër ob artes in tali regione exercitas repletus est, hærebit: sic in Hungaria, in sylvâ Hercinia, & in oppidis, in quorum vicinia metallifodinæ reperiuntur, nascitur ex vaporibus metallicis, in insulis Caribum juxta opinionem Townei endemica fit ob abusum potus Punch. Alias denique *epidemicam* esse, quando aliquo tempore præter consuetudinem particulariter grassatur & multos simul affligit homines, qui non adeo usu rerum nonnaturalium, vel morbo aliquo antegresso inter se conveniunt, talis fuit illa, quæ Aeginettæ tempore grassata est, nec non illa, quam inter Pictones grassantem Citesius descripsit, huc & referenda ea, quæ anno 1730. Amstelodami grassata est, & nostris temporibus iterum observatur. Si itaque ingentem numerum hac colica afflictorum consideramus & præterea perpendimus, quod inter recensitas causas nulla sit, quæ eam tam universalem efficiat; videtur *constitutionem aliquam epidemicam* incusandam esse, in quonam vero hæc consistat in hoc morbo æque obscurum est ac in aliis: videtur tamen *nexum* habere cum epidemia febrium biliosarum, quæ nuper grassatæ sunt; & cum harum febrium natura & causa in collectis fordibus consistat; valde probabile est, colicam hanc originem suam exinde trahere, quod febris præmature, antequam corpus rite expurgatum sit, suppressa, multas in corpore relinquat impuritates, quæ jam non amplius à natura, febre carente, expelluntur & hinc huic colicæ originem præbent. Verum dum hæc febres male terminatæ interdum quoque alios inducant morbos; videtur 2^{do}. requiri *prædispositio quædam in corpore*, quæ epidemicum illud in actum deducat, hæc vero consistere potest in temperamento, vitæ genere, æta-

te &c. 3^{io} Epidemicum hoc efficere potest, ut alia levior colica ex ordinariis causis nata in eam transeat, aut citius dira illa symptomata systematis nervei post se trahat, quod Sydenhamus de aliis morbis epidemicis jam annotavit, dicens quod epidemici morbi sporadicos in suum genium, si vehementiores sint, protrahant.

§. XXXI.

Hiscæ præmissis superest, ut quædam adhuc de *paralyfi*, frequentioribus hujus colicæ insultibus superveniente, dicam; hic autem duæ imprimis occurrunt quæstiones: 1. Quomodo paralyfis ista inducatur? 2. Quomodo fiat ut ista magis artus, & quidem superiores, quam alias partes occupet? Videntur quidem hæc explicari posse per consensum, qui inter nervos obtinet, utpote qui æque inter se communicant ac vasa sanguifera, & cum observatio docuerit, quod inter viscera abdominalia & cerebrum singularis intercedat consensus, prætereaque constet, quod, si vis nervea in unam partem vehementius influat, aliæ partes tanto minorem experiantur, quod videmus, quando unum latus convulsionibus est occupatum, alterum paralyticum fieri, vel etiam si spasmus in parte aliqua obtineat & per applicata epispastica in altera parte spasmus excitetur, quod tunc prior spasmus per novum solvatur; sic satis bene concipi posset, quomodo à spasmis, intestina diu occupantibus, aliis partibus paralyfis induci queat. Verum inter alias difficultates, quæ in hac dantur opinione, minima non est, ut ratio detur, qua fiat ut paralyfis hæc magis artus superiores, quam alias partes occupet? Adducitur quidem ratio ex Neurologia, in qua demonstratur intestina nervos suos præcipue ex intercostalibus & à pari vago mutuari, eosque cum nervis cervicalibus, ex quibus brachiales oriuntur, communicare, & sic videtur explicari posse, consensum aliquem inter intestina & brachia obtinere. Verum cum iidem nervi cum aliis etiam communicent partibus, quæ tamen non læduntur, demonstrandum foret, quod propior sit nexus inter intestina, quam alias partes, quod cum nequaquam fieri possit, fateri debemus, hæc obscuriora esse, quam ut certa ratione explicari possint.

§. XXXII.

§. XXXI.

Quoad *prognosin* hujus mali sequentia fere notanda sunt: Colicam hanc alias mitiorem esse, & postquam in paralyfin transiit sponte solvi, nec recidivam facere, alias vero maxime refractaria est, & vel in longum protrahitur, vel brevi nunquam tamen sub primo insultu necat, sed ut plurimum unius aut plurium mensium spatium requiritur.

Auxilia naturæ in hoc morbo incerta & rara sunt, quandoque tamen, uti Piso de Colluvie Serosa obl. 78. annotavit, superveniens liberalior hæmorrhagia vel largus sudor eum solvunt, Alias quoque alvus sponte soluta & diu manans bona est & à novis insultibus liberat. Interdum quoque ulcusculum natum in pede perpetuo manans, præcipue in podagrigo, morbum levat. Alias quoque per dolores in aliis partibus natis solvitur, cujus exemplum supra §. XXV. adduxi.

Ut plurimum in *paralyfin* artuum, maxime superiorum, transit, qua nata præsens quidem insultus cessare solet, sed futuri non præcaventur, quin colica sæpius cum paralyfi per aliquot annos redintegretur, aliquando etiam dolor post natam paralyfin perstat, ex quo patet eam non pro metastasi saltem non pro bona habendam esse.

Hydrops, coecitas, aponia, impedita deglutitio nec non convulsio, si paralyfi supervenerint mala præbent præfagia & mortem instare indicant.

Vomitus perpetuus, pulsum intermissio, debilitas, dolores pertinaces, foex alvi vel nulla, vel pauca dura, sicca & globulata, urina tenuis, limpida, non subsidens & pauca mala sunt signa è contra urina crassa sedimentum habens, nec non fœces alvinæ figura cylindrica excretæ bonum præbent omen.

Membrorum paralyticorum extenuatio & musculorum gracilitas mala sunt omina contra si naturalis partium torositas & turgor redit, bonum est præfagium.

Idem quoque de naturali faciei colore dicendum, qui, si non redit, indicat recidivas instare.

Recidivæ brevioribus intervallis sese insequentes easque posteriorio-

steriores prioribus graviores, aut apoplexia vel lethargus colicæ superveniens mortem fere inferunt.

Observatum quoque est eos, qui ex in sultu colicæ in convulsiones incidunt, si modo ex isto insultu redeant, non tam cito paralyfi corripit. Quin etiam junioribus & fœminis frequentior ex hac colica convulsio, senibus vero paralyfis & soporosi affectus.

Ructus in hoc morbo nihil juvant, à nascente vero borborismo & intestinorum fluctuatione, aut ano erumpente flatu ægri ipso momento levamen percipiunt.

Colica ex podagra retropulsa, vel à plumbo, aut vinis plumbo adulteratis inducta, præ reliquis refractaria & pertinax esse solet.

§. XXXIII.

Hiscæ explicatis liceat nunc paucis *methodum* subnectere, qua diro huic malo utcumque mederi queat, tria autem imprimis hic facienda indicantur

- I. Ut præsens solvatur paroxysmus.
- II. Ut futurus præcaveatur.
- III. Ut urgentibus symptomatibus succurratur.

§. XXXIV.

Ut *præsens solvatur paroxysmus*; cogitandum causam ipsius proximam sitam esse in violentissima omnium in abdomine contentarum partium constrictione, quæ itaque hanc tuto referre valent, ea primæ huic indicationi satisfaciunt, talia autem sunt præprimis, quæ potenter revellunt, emolliunt & laxant. Si ergo malum vehementius urget & æger juvenis aut plethoricus est, viresque adhuc constant; in pede pertundatur vena, quod etiam iisdem manentibus conditionibus ad secundam vicem repeti potest, si autem æger debilis est, aut vires jam exhaustæ sunt; V. S. nequaquam instituenda. Emollientium autem & laxantium usus in omnibus subjectis præstantissimus est tam internus, quam externus. Extrinsecus itaque totum abdomen fomentis aut cataplasmatibus ex meris emollientibus confectis obvolvatur, quibus interdum, si malum levior fuerit dolores so-

piunt.

piuntur & spasmodum obtinetur solutio, vel etiam, si occasio fert, omentum ex recentissime mactato animali, calidum etiam, applicari potest. Præter fomenta vero & cataplasmata ano sæpius clysmata emollientissima injicienda sunt, ut vero aliquandiu retineantur in paulo minori quantitate injici debent, clysmata hæc pulchre demulcent dolores & ægri maximum inde percipiunt solatium, quamvis nihil materiæ feculentæ eliminetur. Si vero anus adeo sursum tractus & quasi revulsus est, ut clyσμα non possit applicari; æger nudis clunibus insideat vapori aquæ calidæ, qui pulchre quandoque relaxat.

Interne vero ex usu esse possunt decocta ex emollientibus demulcentibus & aperientibus confecta, de quibus brevibus intervallis & parvis haustibus bibere jubeatur æger.

Hisce per 24. fere horas institutis, si nulla insequatur dolorum resolutio; revellendi causa optimo cum successu toti umbilicali regioni amplum aliquod imponi potest vesicatorium, aut aliud quodcunque quod valet potentius extrorsum determinare nimiam illam vim in intestina concentratam.

Hisce præmissis si nondum alvi solutio contingat, hæc enim præcipue desideratur; tunc aliquid ex eccoproticis in paulo majori quantitate exhibendum, inter præstantissima vero remedia in hoc casu est sal Ebshamensis, vel Sedlicensis aut mirabilis Glauberi ad ℥j. vel 3x. in convenienti vehiculo solutus, vel etiam pilulæ formari possunt ex Gummi ammoniaco, rheo, Sapone, Veneto, Sale neutro &c. quæ cum appropriato vehiculo sumendæ & supra dicta decocta superbibenda.

Hisce nihil proficientibus iterum ad ea redeundum à quibus inceptum est, ad cataplasmata nimirum, clysmata externe applicanda & decocta emollientissima interne ingerenda, & ab his rursus descendendum ad eccoproticorum usum, atque sic alternatim dicta remedia applicanda, donec expectatissima tandem alvi solutio obtineatur.

Cavendum autem sollicitissime à purgantibus acrioribus, quæ spasmos potius ad augent quam solvunt. Neque properandum nimis cum opiatorum usu, utpote in principio plus noxæ quam

boni producentium, siquidem summum malorum, paralyfin puta accelerantium.

Facta tandem alvi solutione ut paroxysmus plenarie solvatur & ad præservationem via sternatur, necesse est, ut continuato aliquamdiu eccoproticorum usu totus intestinorum tractus subtiliter everratur, tum quoque ad reliquias à morbo superandas ex consilio Sydenhami Bals. Peruvianus exhiberi potest ad gr v.-x ex sacharo albissimo.

§. XXXV.

Hisce peractis de altera cogitandum est indicatione, qua jubetur ut à novis insultibus præservetur homo, hunc in finem tubi intestinalis nervis atque membranis suum reddendum robur, ne tam facile iterum in spasmos incidant, & intestina motum suum legitime perficiant. In hunc scopum ægri diæta ita limitanda est, ut ei non solum molles & facile digerendi cibi concedantur, sed & interdicator omnibus aut flatulentia, aut acrimonia, aut frigore peccantibus. Deinde reliquarum rerum non naturalium usus talis debet esse, ut omnibus causis, quæ colicos dolores producere posse supra dictum est, contrarius sit, ante omnia autem evitandum frigus & boreæ inhumanitas. Quodsi vero opportunitas datur omnibus aliis remediis antecelant thermæ naturales sulphuræ, qualis Aquisgranenses & Wisbadenses, quibus potatis, quicquid nocui restitit, penitus eluitur; atque ab his transeundum est ad aquarum martialium usum, quales præcipue sunt Spadanæ, Pymontanæ, Schwalbacenses, quarum vi intestina deperditum recuperant tonum, ut causis spasmos & dolores producentibus forcius resistent. Ast ubi thermarum occasio deest; sequentia earum vices utcunque supplere possunt.

1. *Diæta* qualis antea descripta, quam accuratissime servanda.

2. *Pro potu ordinario fit decoctum* ex rad. v. aperient. radice Scorzoneræ, Sarsaparillæ, bardanæ, foenic. &c. cum hordeo, radice Glyzyrrh. passulis, quin, si hominis constitutio fert, usus lactis asinini vel caprilli egregie conducit, præsertim si colica ex retro pulsa podagra nata.

3. Al-

3. Alvus laxa servanda lenissimorum eccoproticorum opere.
4. Abdomen mane & vesperi pannis laneis, aromatica virtute imbutis, fricetur, vel tegatur Emplastro aut facculo aromatico & nervino.
5. Egregie quoque conducit balneum universale rotius corporis, ex aqua dulci cum herbis emollientibus paratum præsertim si æger reconvalescens forte ex suscepto frigore recidivam timet.
6. Pro remediis esse possunt attenuantia, resolventia, roborantia, antiscorbutica, quibus vel forma decocti, vel pilularum cum balsamo Peruviano satis diu æger uti debet.
7. Usus quoque corticis Peruviani hic egregie conducit, præcipue si hæc colica feбри intermittenti se jungit, tunc enim utroque medetur malo.
8. Denique conveniunt moderata corporis exercitia, ea autem ita sunt instituenda, ut omnes causæ procatarcticae, quæ huic malo occasionem dedere, sollicitè evitentur.

§. X X X V I.

Ad tertiam denique indicationem implendam imprimis respiciendum ad convulsionem, soporem sive lethargum & paralyfis, reliqua enim symptomata ut plurimum finito paroxysmo sponte recedunt.

Si itaque convulsio aut sopor huic colicæ supervenerit; hæc tractari debent ac si ex alia causa producta sint & si vires ægri permittunt utique V. S. instituenda, dein occipitio vesicatorium & inferioribus partibus, imprimis pedum plantis duo epispastica applicari debent. Imprimis autem studendum ut spasmus abdominis quantocius solvatur, quare in sanatione morbi principalis, quantum fieri potest properandum est, quam primum enim alvus laxatur, sopiuntur dolores, hi vero tristitia illa inducunt mala. Si vero convulsiones post finitam colicam adhuc perdurent, quod tamen raro contingit, tunc ut morbus principalis tractandæ sunt & nervina, roborantia & antepileptica in usum trahenda.

Ad paralyfis vero, huic colicæ supervenientis, curationem.

viam pulcherrime sternunt, ea, quæ ante laudata sunt contra subsecuturos colicæ insultus, si enim hi præcauentur; paralyfis eodem gradu, quo homo vires resumere incipit, levior evadit, ni autem isti prævertantur, alia omnia remedia nequicquam valent; cum una recidiva omnia rursus destruat, quæ hæcenus bona præstita fuerunt.

Remediorum autem loco ea adhibenda, quæ paralyfi ex alia causa natæ, medentur; conducunt ergo intus nervina, antiscorbutica & aquæ minerales, extus thermarum sulphurearum usus, cucurbitæ siccæ ipsis partibus affectis applicatæ, unguenta, præsertim ex axungia humana cum oleo quodam aromatico juncta, pelles calidæ ex animalibus recenter deglyptæ, denique omnia, quæ affluxum humorum ad partes affectas reddunt majorem, qualia sunt dropaces, phœnigmi, frictions & vesicatoria.

T A N T U M.



Als der wohlgelehrte H E N N
ABRAHAM HEINRICH DAELHAUSEN,

die Doctor Würde wohlverdient erhielt

schrieb seinem Freunde

folgenden aufrichtigen Glückwunsch.

JOHANN WOLFFGANG MANITIUS,

Medic: Doct. aus Preussen.

Du forderst Wehrter Freund von mir
Das ich zum letzten mahl noch hier
Soll meine Muse Schwärmen lassen
Du weißt daß ich auch scheiden muß
Dies mehrt der Sorgen überfluß
Wie Himmel kan sich dies doch wohl zum dichten passen?

Doch kein Entschuldigen finde statt
Weil sich mein Mund versprochen hat
Noch einß den stumpfen Kiel zu netzen!
Wolan! So reim ich ohne Kunst
Das übrige mag Deine Gunst
Der schlechten Dichterey an Feur und Witz ersetzen.

De

Der Hut den heute Hippocras
Dir wolverdient verliehen hat
Sey Dir der Grund zum wahren Ruhme
Der Lorber der Dein Haupt umschlinge
Und Dir so Ehr als Wucher bringe
Mach Dir auch allezeit das Glük zum Eigenthume.

* * *

Die Redlichkeit die Dich bewohnt!
Die Tugend die sich selber lohnt
Die sollen ewige Säulen werden
Drauf Deine Wolsahrt sicher steht
Denn wer in diesen Spuren geht
Der findet allezeit den Himmel auf der Erden!

